

POCOENIUM NUPTIALE,  
HONESTANDO PRIMO CONJUGIO,  
*Nobilissimi, Spectatissimi atque Doctissimi Viri*

*Juvenis*

**DN. JOHANNIS  
BAUMGARTEN,**

*Hæreditarii in Sipnisk/*

**Patriæ Civitatis SECRETARII dexterrimi,**

*Magnifici quondam, Nobilissimi & Amplissimi VIRI,*

**DN. ANDREÆ BAUMGARTEN,**

*Reipubl. Thorun. Præ-Cof. undiquaq; meritissimi,  
& Judicii Terrestris Nobilitatis Culmenis Assessoris  
Gravissimi,*

**FILII UNICI,**

*pariter atque*

*Nobil. Verecundiâ & Probitate omni excultæ Virginis,*

**DOMINÆ**

**ANNÆ JUSTINÆ,**

*Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi VIRI,*

**DN. JACOBI KNIPPELII,**

*Urbis supra dictæ Consulis & Quæstoris integerrimi,*

**FILIÆ DILECTÆ,**

**Ab Amicis sinceris & candidis,**

*Anno 1694. d. ipso S. Matthæi, h. e. 21. Septembris,*

**ADORNATUM.**



Evulgavit typis publicis Joh. Balth. Bressler.

C 29.

n.

lass.

s. Coll.

class.



Parodia Odes 21. Libr. 1. Horat.



Aumgarten *Jurvenes dicite floridi,*  
Sponsam *ejus teneræ dicite Virgines,*  
*Nympham corpore pulchro,*  
*Dilectam penitus Viro.*  
*Vos letum thalamis & titulis novis*  
Sponsum, *Magnifico progenitum Patre,*  
*Secretarium honorum*  
*Dignis tollite laudibus.*

*Tadarum Domino carmina dicite,*  
*Convivæ, & precibus sidera tangite,*  
*Insignes Neonymphos*  
*Ut ditet, foveat, regat,*  
*Et bellum lacrymosum, & miseram famem,*  
*Pestemq; à Thalamo hoc tam venerabili, in*  
*Turcas atq; Gelonos*  
*Vestrâ motus agat prece!*

Gratulab. applaudebat

Wenceslaus! *Johannides, Gym. Thor.*  
*P. P. & Visuator.*

**L**ætius irriguis arbor succrescit in hortis,  
Lætius umbriferis luxuriatqve comis;  
Quam steriles inter silvelcens segniter ornos,  
Quæve tenet spissum cædua ligna nemus.  
Illam cauta manus tractavit, stipite recto  
Tenderet ut patulo brachia justa solo:  
Nec pronam fessis duntaxat spargeret umbram,  
Sed daret ut fructus, mitia poma, nuces.  
Ista sed hirsutis riget aspera frondibus, inter  
Implexos vepres, horrida tesqua, rubos.  
Te, *Neonyphe*, manus duxit pretiosa Parentis,  
A meritis magni præcipuique Viri:  
Te prudens virtus instruxit moribus aptis,  
Reddidit & nitidum te nitor ingenii.  
Quis neget ergo, sies quin nobilis arbor, opimos  
Ætatis fructus spargere docta tuis?  
Quæ certa Patriam foveat spe, dotibus amplis  
Quæ ventura gravi tempora firmet ope.  
Quis neget hæc? tædisqve tuis neget incrementa,  
Propitias fati pollicitura vices?  
Nemo quidem, cui sit generoso pectus honesto  
Incoctum, & veræ simplicitatis amans.  
Inprimis, felice domum cum sidere ducis  
A claro natam Consule progeniem.

Quæ



Quæ mitem Patris vultum, Matrisque pudicos  
Mores concinna dexteritate refert.  
Fœdere quæ casto sit complexura Maritum,  
Et functura probæ partibus Oeconomæ.  
Spondemus cuncti felicia quæque, precantes  
Successus faustos, & sine nube dies.  
Vivite concordés, similesque educite plantas,  
Nominis ut Vestri stet, vigeatque decus.

Nobilissimo Dn. SPONSO,  
Literatorum æstimatori, & Ipsi literatissimo,  
scr. L. M. Q.

M. Johannes Sartorius.

**I**ustitiæ latices qui iusto pectore clausit:  
Justinæ capitur retibus ille piæ.  
Qui quondam magni Natus Proconsulis audit:  
Consulis huic nubit filia chara bene.  
Quem fortuna suis cumulavit dotibus ampla:  
Omni fortuna huic virgo beata datur.  
Quem probitas, nivei mores, & gratia linguæ  
ornant: huic similis Sponsa modesta venit.  
Sic bene servatur sententia clara Poëtæ:  
si qua voles apte nubere, nube pari.  
Hæc paritas vestro cum nunc præluceat amori,  
quis tædas vestras perneget esse pares?  
Felix conjugium tanta pietate quod audet  
conspicier. Magnos sic bene magna decent.  
Este pares animis, studijs, & prole futura:  
Quis vobis ullos dixerit esse pares?

Lætitiâ e connubio auspiciatissimo conceptam  
repetere debuit

M. Martinus Böhmi.

**C**ASTA PLACENT SUPERIS! casta hinc tibi ducitur uxor,  
Ut peragas caste fatalia flamma vitæ.  
Hæc & non alia ratione extinguere flammâs  
Convenit, atque graveis carnis sedare tumultus.  
Gratulor hunc thalamum tibi pectore & ore faventi:  
Sit procul hinc simulatus amor, discordia vecors  
Exulet, adsistant domui tria Numina vestræ.  
Atque suum decies ubi luna refecerit orbem,  
Dent similem sobolem probitate fideque parenti,  
Acer quem pungit stimulus virtutis & artis!

Honoris amorisque ergo

f.

P. P.

Ad



*Ad Nobiliss. Sponsum.*

**J**am recipis pretium Pietatis, *Sponse* modeste,  
Cum juncta cara Virgine lætus ovas.  
Munera largita est primùm Tibi Curia nostra,  
Curia cœlestis nunc nova dona parat.  
Talia si quis Te livor meruisse negaret,  
Gymnasia hunc faciet penna metrumq̄ve reum.  
Illud dum recolo tempus, subsellia docta,  
Quando pressisti, gestio lætitia.  
Quàm primùm Titan radios per compita terræ  
Sparsit, inauravit vel juga Caucasea:  
Quàm primùm volucris celebrandi exarsit amore  
Numen, vel Phœbe condidit ipsa rotas:  
Surgebas lætus, turgensq̄ve cupidine sancta  
Discendi, repetis limina cana Scholæ.  
Spectasti cœtus, non expectatus ab illis  
Es, stimulans rara sedulitate probos.  
Hærebas oculis vultu discendo Magistri,  
Quicquid præscripsit legis id instar erat.  
Implebas aures ferali carmine nunquam,  
Sæpius ut Ludi torva juvena solet.  
Quàm promptè Mundi Dominum sancteque colebas  
Norunt, quos non dum sustulit atra dies.  
Concurrit nunquam sic ad fera classica miles,  
Ut Tu currebas ad pia sacra Dei.  
Vix vultur tanto nixu sibi pabula quærit,  
Quanto quæfisti pabula docta animo.  
*Sponse*, Tibi laudes istas si fortè negarem,  
Dicerer haud parvi criminis esse reus.  
Nec mirum: salicem Palma an protruder amaram?  
Aut Cedrus spinas, pinus & alta rubum?  
Pugnaces aquilæ nunquam exclusere columbas,  
Nulla leonino femine cerva sata est.  
Patre satus tali es, cui nomen, fama, decusq̄ve,  
Cuiq̄ve salus Nati, maxima cura fuit.  
Ille Tibi referavit iter, Virtutibus ille  
Præluxit, felix auspiciūq̄ve dedit.  
Signavit metas, ad quas contendere debes,  
Passibus haud dubiis, Tu modò fige pedem.  
Et video Tibi jam, *Sponse*, ut fors prospera servit,  
Admoveret & fixo lætius illa scopo.  
Inde omen capio, cresces & honore Parentem  
Equabis, Tibi si vita perennis erit.  
Ingenium modò conserves quod finxit Apollo,  
Et quem formavit Pallas amica animum.  
Sed quò penna ruis? thyrsos quoq̄ve meta locanda est,  
Conjugii juncti fœdere vota volunt.  
At quæ vota feram? quæ quondam fudit amico  
Naso gravis, sint hæc fervida vota mea:  
*Sic tua processus habeat fortuna perennes:*  
*Sic ope non egeas, ipse juvesq̄, tuos.*  
*Sic aquet tua nupta virum bonitate perenni,*  
*Incidat & vestro rara (nulla) querela toro.*  
*Sic juvenis Tibi consimilis sit natus & illum,*  
*Moribus agnoscat quilibet esse tuum.*  
*Sic faciat socerum tada Te nota jugali,*  
*Nec tardè juveni det Tibi nomen avi.*  
Accipe quod dedimus, dedimus quod possumus unum,  
Hæc *Sponsis* Vatis carmina munus erunt.

Memor Favoris Paterni, & Pietatis Filii, scripsit & dedicavit  
iste novis Conjugibus

JOHANNES REZIK, P. P.

Inv. 113018  
k. f. 1. 3 adl. 29

17 (o) 190